



• S • G • B • T • B •



• I • G • G • I •





z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.





28  
COLLEGII SECUNDI  
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO XIII.

continens

ANTIΘΕΣΙΝ ARTICULI IV.

DE QUÆSTIONE

AN FIDES SOLA  
JUSTIFICAT,

*Proposita*

In inclutâ Electorali Academiâ VVittebergensi,

P R Æ S I D E

JACOBO MARTINI, SS. Th.

D. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito:

R E S P O N D E N T E

M. GEORGIO *Groscham* / Duderstad.

*Habebitur in Auditorio Collegii Veteris*

*Ad diem 29. Novembr.* 6 Xbr.

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH,

ANNO M DC XXIX.









*Continuatio.*

**S**equitur nunc apud Becanum quæstio quinta : *An fides sola justificet :* de qua acris omninò controversia hodiè Ecclesiis nostris cum Jesuitis intercedit. Nam tametsi interdum Sophistæ de fide justificante satis splendide loquuntur; ad decipiendum tamen unicè composita sunt omnia. Bellarm. lib. 1. de Justif. cap. 3. scribere non dubitavit ; *Fidem tanti esse pretii, ut à charitate etiam distincta, vim habeat justificandi.* Quæ sanè assertio videtur omninò idem dicere, quod nos docemus : cum fides, à charitate distincta, sit sola fides. Si igitur sic ab operibus charitatis distincta habet vim justificandi, utiq; sola justificat. Sed aliud loquuntur Jesuitæ, aliud in corde sentiunt : Quando postmodum hanc suam assertionem per modum dispositionis & impetrationis interpretari solent ; & quia nostra sententia, solâ fide nos justificari asserens, ipsis sudas est in oculis, omnis generis ad eam oppugnandam conquirunt & adhibent machinas : quarum aliquas, à Becano adductas, hac disputatione lustrabimus & examinabimus.

THESIS I.

Primum §. 1. probat Becanus hanc esse nostram sententiam, *sola fide nos justificari.* Quæ verò res per se plana & manifesta est, & testantur libri nostri symbolici, nos nihil aliud, quam

A 2

quam



quam hoc statuere & credere. Hoc nempe est, quod Augustana nostra Confessio in hoc articulo quarto tradit, *homines non posse justificari coram DEO propriis viribus, meritis aut operibus, sed gratis justificari propter Christum per fidem &c.* Et Apologia expressè ait, *nos remissionem peccatorum solâ fide consequi, non per dilectionem, nec propter dilectionem aut opera, sed gratis propter Christum.*

II. Sic ergò pergit Becanus §. 2. *Hec propositio habet duas partes: Prior asserit, solam fidem justificare. Posterior explicat modum, quo sola fides justificat. Utraq; refutanda est. Et quidem prima pars de sola fide justificante, potest tribus modis intelligi. Primò, ut sola fides justificet formaliter, id est, ut sola fides sit illa forma, à qua homo formaliter vocetur justus, sicut sola albedo est illa forma, à qua homo formaliter vocetur albus. Secundò, ut sola fides justificet dispositivè seu antecedentaliter & causaliter, id est, sola efficiat, ut justitiam acquiramus. Tertiò, ut sola fides justificet consecutivè & consequenter, id est, sola sufficiat, ut justitiam semel adeptam conservemus & retineamus. In primo sensu non asseritur à Calvino, sed in secundo & tertio. Nam ex sententia Calvini forma illa, qua homo formaliter justificatur & justus denominatur, non est fides, sed actualis justitia Christi, qua per fidem apprehensa, nobis imputatur, & quâ justis censemur, non in nobis, sed in Christo, uti supra explicatum est. Hec tamen justitia secundum doctrinam nec acquiritur, nec conservatur, nisi solâ fide, ac proinde secundum Calvinum sola fides justificat secundò & tertio modò: hoc loco solum disputamus de secundo postea de tertio.*

III. Initiò rursus monendum reor, Jesuitam, ut in hac tota disputatione, sic in hujus etiam quæstionis tractatione, nominare quidem Calvinum, ejusq; scripta allegare, interim ipsam Lutheranorum doctrinam de justificatione reprehendere ac damnare: Ut satis se prodit §. 4. Ubi ipsum Lutherum nominatim perstringit, ac si argumentum olim contra justificationem per solam fidem, objectum & hic §. 3. allegatum, solvere non potuerit.

4. Dein-



IV. Deinde certum est, quòd, quando docemus, nos sola fide justificari, nequaquam hoc velimus, nos per fidem, tanquam per formam, justificari, haud secus ac per albedinem, tanquam per formam, corpus vel homo sit & dicatur albus. Sic enim nobis statuendum foret, fidem ut opus vel qualitatem, nos justificare: quod verò strenuè hactenus & constantissimè fide negavimus, negativamq; nostram ex verbo Dei firmiter demonstravimus: primus ergo modus nihil ad nos.

V. Ut autem non primum illum, sic neq; secundum, neque tertium concedimus. Largimur quidem, & hæc omninò orthodoxa nostra est sententia: *formam illam* (sic cum adversario loquamur) *quâ homo formaliter justificatur, & justus denominatur, non esse fidem, sed acquisitam Christi justitiam, quæ per fidem apprehensa nobis imputatur, & quâ justificemur.* Sed quâ vi conscientia nos adiget Becanus, ut credamus, hoc concessò, necessariò quoq; concedendū esse, fidem justificare dispositivè, antecedentaliter, causaliter & sic sola efficiat, ut justitiam acquiramus, solaq; sufficiat, ut justitiam semel adeptam, conservemus & retineamus. Rursus suò more committit Becanus vitium syllogisticum *μη εἰς τὸ*.

VI. Ratio est manifesta: nam nulla omninò præparatio ad justitiam, & sic nec sola justificat; At fides nostra, quam Lutherani ex Scriptura defendimus, sola justificat: (Fides nostra, quam Lutherani ex Scriptura defendimus, non est præparatio sive causa præparans hominem ad justificationem. Major est certa: quis enim nescit, longè aliud esse præparare, quàm efficere: quandoquidem illius effectus est dispositio, quæ potentia: hujus verò finis est actus: quantum igitur discriminis est inter potentiam & actum, tantum differt dispositio justificationis à justificatione ipsa. En exemplum Matth. 11, 10. *Ecce ego mitto nuncium meum, ante faciem tuam, qui præparaturus est viam ante faciem tuam.* Ubi certè præparare viam, non est adducere per viam: hoc enim, non illud fecit Joh. Baptista. 1. Cor. 2. v. 9. *Quæ præparavit Deus diligentibus se.* Præparavit: nempe suò tempore concedenda. Quid? quòd Vasquez Jesuita, non tantum



tantum ratione, sed tempore vult dispositionem præire. Verba  
ejus sunt ex cap. 2. satis clara: *sola non sufficit (fides) ut prævia  
dispositio, quæ tempore præcedit justificationem.* At (ut nostra ha-  
ber minor) de ejusmodi fide, actum justificationis ingrediente,  
nescit Apost. Paulus, nescit tota S. Scriptura & nos Lutherani ex  
& cum illa. Nostrâ namq; fide justificamur: *Gal. 2, 16. c. 3, 24.*  
Justificari verò est justum constitui, teste ipsò Bellarminò &  
Becanò, qui quidem id malè intelligunt de justitia inhærente;  
Axioma tamen verum est, si tantum distinguatur id, quod esse  
sive fieri potest ab eo, quod fit.

VII. Bellarminus, licet per fidem dicamur justificari,  
esse nihilominus eam præparationem duntaxat ad justificatio-  
nem, probare conatur aliquot argumentis. Primum sumit ex  
*cap. 11. Hebr. v. 6. Accedentem ad Deum oportet credere, quia est: ubi  
ait: fidei primam tribui motionem in Deum, per quam is, qui longè  
erat, jam incipit appropinquare. Secundum, ex c. 10. Rom. Qui-  
cunq; invocaverit nomen Dei, salvus erit. Sed quomodo invocabunt,  
in quem non crediderunt? quomodo credent sine prædicatione? quo-  
modo prædicabunt nisi mittantur? Hic ordinem justificationis, ait  
Bellarm. describi his gradibus: Missione prædicatorum, prædicatione  
Evangelii, fide, invocatione, salute, id est justificatione. Ex iis gra-  
dibus externos esse addit, missionem & prædicationem; ceteros in-  
ternos: proindeq; primum in nobis gradum justificationis esse fidem.  
Tertium ex Job. 1. Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem  
filios Dei fieri, his, qui credunt in nomen ejus. His aperte docere  
Evangelistam, eos, qui per fidem Christum recipiunt, nondum esse  
filios Dei, sed posse fieri, si pergant ulterius, ut etiam sperare & dilige-  
re incipiant: cum dilectio propriè filios DEI faciat, ut patet ex  
1. Job. 2.*

IIIX. Respondemus breviter ad singula: & quidem pri-  
mum ad illud Hebr. 11. Nulla urget necessitas, ut per illud, *acce-  
dere*, intelligamus primam motionem in Deum: quippe quod  
& primum & postremum significat. Marci 1. *Accedens, erexit eam  
& quidem apprehensâ manu.* E. non longè distans & vix se mo-  
vere incipiens, ut ad eam veniret, sed cum penitus accessisset,  
ut



ut non posset magis. In ipsa ad Hebr. Epistola c. 7. unde *ſervare prorsus potest eos, qui per ipsum (Christum) accedunt ad Deum.* E. juxta hanc Bellarm. interpretationem duntaxat per Christum præparantur homines ad Deum accessuri, & non planè perducuntur atq; ei uniuntur. Absurdum & atheum.

IX. Ad alterum Rom. 10. Negamus ibi describi ordinem justificationis: sed proponit Apostolus œconomiam salutis: quæ longè latius patet, & plures complectitur condiciones, quàm justificatio. Hinc omnes quidem, qui æternùm salvantur, sunt in militanti Ecclesia hisce in terris justificati: non verò omnes in militanti Ecclesia justificati, æternùm salvantur; sed tantùm illi, qui in fide usque ad finem perseverant *Matth. 10, 22. c. 24, 13.* Deinde invocatio non pertinet ad justificationem, sed sanctificationem: & justificatio præparatio ad sanctificationem & porro ad salutem æternam dici potest: ut ita falsissimum sit, quod opinatur Bellarm. justificationem & salvationem synonyma esse.

X. Ad tertium Joh. 1, 12. ibi in Græco est ἐξουσία. Nam verba Johannis sunt: *ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα ἰεῦ γενέσθαι:* ubi primùm vox ἐξουσία non rectè in vulgata verti videtur per *potestatem* sive *potentiam* remotam, quâ aliquid esse potest, sed nondum est: significat enim ipsum jus & actum, & sic non aditum ad filiationem, sed ipsam filiationis dignitatem notat. Deindè quòq; verbum γενέσθαι non rectè verti videtur per *fieri*: cum hîc esse significet ut *Matth. 5, 45. ὅπως γένηθε υἱοὶ, ut sitis filij:* & sit sensus: *quotquot receperunt eum, dedit eis jus, ut sint filii Dei.* vel si omninò significationem priorem retinere velis, dicimus τὸ γενέσθαι non esse idem quod τὸ γένεσθαι. Est enim Aoristus secundus, & habet significationem non tam præsentis vel futuri, quàm præteriti: atq; tùm sensus erit: *ſ dedit eis jus ſ dignitatem, ut facti sint, sive etiam essent filii Dei, ex ipso, quò ex Deo nati sunt.* Sic etiam hunc locum Cyrillus interpretatur & explicat. Et quomodo aliter? cum nihil ibi aliud declaretur, quàm gratia υἰοθεσίας: quæ meritò ac convenientissimè vocatur ἐξουσία id est ἀξίωσις, ut Paulus loquitur *1. Theosal. 1, 5. ſ ii.* Cum hoc modo



modo ac ratione simus hæredes Dei, cohæredes verò Christi, Rom. 8, 17. Interpretationem hanc probat & sequitur Jansenius, non quidem Jesuita, Papista tamen, & inter Papistas Episcopus. Perpensâ enim verborum ἐξουσία & γένεσις potestate ac proprietate, est, inquit, sensus nostræ literæ: dedit eis hanc excellentiam & dignitatem, ut fiant filii Dei, non quidem postquam eum receperunt, sed eò ipsò, quod eum recipiunt. Cui adstipulatur Jesuita Pererius. Hic enim quinque adductis diversis interpretationibus, sextus, inquit, modus, qui suprâ dictis aliis quinque modis videtur probabilior, est Jansenii: sumptus à Cyrillo super illis verbis; Dedit ei potestatem, pro illâ voce, potestatem, Græcè legi ἐξουσία, quæ vox etiam significat autoritatem, & jus ac dignitatem. Præterea in illis verbis filios Dei fieri, Græcè et si, γένεσις, etiam significans esse. E. plana & germana horum verborum sententia est hujusmodi: Qui receperunt verbum, illis tanta collata est autoritas & dignitas, tantumque datum est jus, ut sint filii Dei. Hactenus ille. Hæc igitur interpretatio si obtinet, Bellarminus suâ argumentatione arguitur ineptissimus.

XI. D. Aegidius Hun. in Com. in Joh. in hac est sententia, quod Johannes verbo illo (fieri) respexerit ad consummatum beneficium filiorum Dei in vita beata, ubi demum verè revelabuntur filii Dei, quando nimirum credentes ad hæreditatem reipsâ possidendam vocabuntur, quam nunc spe expectamus. Ratione hujus revelationis (addit) quæ demum futura est in novissimo die, dicuntur credentes potestatem habere filios Dei fieri. Res enim dicitur fieri, cum incipit innotescere. Quamdiu autem hanc vitam agimus, nondum apparet nos esse filios Dei ob multiplices ærumnas hujus vitæ, gloria illa filiorum Dei nondum est conspicua.

XII. Sed ut ut sit, Johannes sibi contrarius non est. Qui verò in prima sua epist. canonica c. 3. 2. inquit: Charissimi, jam filii Dei sumus, sed nondum apparuit, quod erimus. Et sic ὁμοίως expressè ab eo, quod de nobis futurum est, distinguit: proindeque per illud γένεσις non potest hoc loco significare, quod beneficium ὁμοίως, quoddam fide sit posterius, & credentes non jam sint filii Dei, sed tantum potestatem habeant, ut aliquando fiant



**Sant filii DEI.** Cum vi illius Sententiæ & totius Scripturæ  
*ὁμοφείας, ὑποθεία* cum fide simpliciter simul sit: quam pri-  
mum enim homo incipit credere, filius DEI est; & quando fili-  
us DEI est, credit. Ut enim initium fidei est fides: sic initium ὑ-  
*θείας* est ὑποθεσία. Tutius ergo est, ut, vulgatâ versione sepo-  
sitâ, simpliciter Græco textui, tanquam fonti, adhæreamus,  
cui testimonium etiam perhibet illi, qui alioquin adversarios  
se nostros propalam profitentur, & ipsô opere demonstrant.

XIII. Taceo, quòd nullâ ratione fides, ut justificare à  
Paulo & nobis dicitur, esse possit præparatio sive dispositio ad  
futuram justificationem. Quandoquidem fides, ut à nobis  
considerata, ingreditur justificationem hominis, non præpa-  
ratam aut inchoatam, sed perfectam: & ut tota justificatio, sic  
etiam hæc ipsa fides, est à DEO: cum homo totus passivè, solus  
DEUS activè sese habeat.

XIV. Fit enim justificatio ( ut nos ex S. Scripturâ do-  
cemus ) quando Spiritus S. per auditum verbum fidem in cor-  
dibus hominum operatur & quidem solus. Hæc fides est qui-  
dem qualitas, sed non à nobis profecta, verû à Spiritu S. nihilo-  
minus nobis collata: ideoq; ut qualitas, & ut in nobis recepta,  
non justificat: sic enim imperfecta est. Illa verò simul vel est  
ipsa, vel in se habet relationem ad meritum & justitiam Christi  
misericordiamq; DEI. Hoc enim peculiare habet objectum,  
cui innititur. Propriè itaque & causaliter non fides, sed  
misericordia, sed apprehensa justitia Christi justificat; non ali-  
ter ( quod exemplum & suprâ adhibuimus ) ac dicitur Eccle-  
sia ædificata super fidem Petri relativè i. e. super Christum,  
quem fides Petri est confessa: Sic fides justificat relativè, hoc  
est, misericordia meritumq; Christi nos justificat, fide impu-  
tatum.

XV. Justificat ergò fides, non ut qualitas aut opus, sed  
ut relatio, hoc est, applicatio, apprehensio: Et ut inductio for-  
mæ in materiam non est præparatio ad subsequentem genera-  
tionem, sed est ipsa generatio: sic neque applicatio justitiæ  
Christi nec fides hæc relativa, præparatio est ad futuram sive

B

sub-



subsequentem justificationem ; sed est ipsa justificatio : ut non sine causa nonnulli ex nostris statuunt ac colligant : Si sanguine & merito Christi tantum justificamur, utiq; fide etiam justificari, nihil erit aliud, quam solò Christi merito fide apprehensò justificari. Undè porrò sequitur, fidem, ut qualitatem, DEO non placere per se, sed tantum propter id, cui innititur & cujus applicatio esse dicitur : h. e. meritum Christi : Ergò & hæc qualitas sanctificare hominem non potest, nisi fuerit & sic præcesserit imputatio justitiæ Christi, hoc est, justificatio : & sic hæc ipsa prior sit in homine, quam illa qualitas reverà fiat in ipso sancta, & DEO placeat, si nò tēpore, omninò tamen naturā : ut licet concedamus fidem, ut qualitatem, esse initium sanctificationis ( sed nequaquam justificationis, cum hujus initium ac finis sit sola Christi justitia nobis imputata ) maneat nihilominus, ut illa tota, sic hæc ipsa ; eò modò justificatione posterior.

XVI. Falsum igitur & hoc est, statuere nos, *quod sola fides nos justificet causaliter* : est enim aliud causam dicere, aliud modum, quò vera causa agit & justificat ; quandoquidem solus Christus & ejus justitia nos causaliter justificat ; non fides. Nam licet Scriptura ita loquatur, & nos cum ipsa : *nos justificari per fidem ; item ex fide* : Interim ille modus loquendi non statim causam denotat. Nam & hæc S. Scripturæ sunt sententiæ : Matth. 2. v. 12. *Per aliam viam reversi sunt.* cap. 7. vers. 13. *Introite per arctam portam.* cap. 12. v. 43. *Perambulans per arenaria loca.* Luc. 5. v. 19. *Per tegulas dimiserunt eum.* Actor. 1. vers. 3. *Per dies 40. conspectus est ab eis.* cap. 13. v. 49. *Divulgabant sermonem Domini per universam regionem &c.* Sic Matth. 20. vers. 2. *Pactus cum operariis ex denario.* & vers. 21. *Sedeat unus ex dextra tua & alius ex sinistra.* cap. 27. v. 7. *Emerunt ex illis agrum.* Luc. 1. v. 15. *Replebitur Spiritu S. adhuc ex utero matris suæ.* Marc. 13. v. 27. *Coget ex quatuor ventis &c.* Nulla harum sententiarum causam significat.

XVII. Interim si terminus *causa* non sophisticè adhiberetur, & adversarii sub ejus ambiguitate non delitescerent, sua m-



suamq; hæresin involverent & occultarent ; ab illo non planè abhorreremus. Scimus enim quod latissimè quoq; sumatur causæ nomen, ut non tantum efficientem significet aut finem, sed instrumentum quoque & modum, quò efficiens operatur: quò etiam modò multi Scripturæ loci intelligendi & acceptandi sunt, ut Matth. i. v. 22. *Quod dictum fuerat per Prophetam. Act. i. v. 16. Per os David. cap. 5. v. 12. Per manum Apostolorum edebantur signa. cap. 15. vers. 23. Missis per manus eorum literis &c.* Sic Matth. 15. v. 17. *Qui proficiscuntur ex ore, ex ipso corde egrediuntur. cap. 21. v. 16. Ex ore infantium &c.* Et sanè concedimus nos, imò docemus, fidem instrumentum esse quoddam & modum justificandi: non verò propterea largimur, fidem esse causam propriè sit dictam, ut est causa, quæ reverà ac principaliter agit: sed causam duntaxat dici, & dici posse, ut ea solent causæ nomine vulgò venire, quæ, licet rem neque inchoent, neque perficiant, ei tamen exequendæ adhibentur.

XIIX. Quare perperam concludunt Jesuitæ, & inter hos Bellarminus: *Paulam tribuere id ipsum fidei, quod neget operibus.* Quandoquidem justificationem tantum illi tribuit, non justificandi modum: quem verò unà cum justificatione negat operibus. Quare diversissimus etiam est sensus harum propositionum explicitus: *Justificamur per Christum, sive per Christi sanguinem, mortem & totam obedientiam: & justificamur per fidem.* Ibi enim vera causa & strictè sumpta formaliter & explicitè significatur; hic non vera; sed latè accepta: quæ propriè non causa, sed conditio est, quam vera causa ad agendum requirit & adhibet.

XIX. Ut igitur fides causaliter Justificationem neque inchoat, neque perficit; sed id solùm Spiritus S. opus est, per fidem operantis; sic neque causaliter conservat justificationem; sed idem præstat solus Spiritus S. per fidem. Proindeq; falsum est, nos statuere, *primo & secundo modò à Becano & Jesuitis confectò fidem justificare.* Et quia utrumque istum modum negamus, frustrà contra nos disputat Jesuita hanc nobis affingendo sententiam: *sic fidem justificare dispositivè sive causaliter.* Hanc



ergo quando negat, non nostram sententiam negat, sed figmentum cerebri sui, proindeque contra larvas à se fictas & pictas, & non contra nos disputat: quippè qui hoc ipsum quoque negamus, quando simpliciter inficiamur fidem nullò modò dispositivè & causaliter justificare, ut Pontificii intelligunt, volunt ac defendunt, justificare bona opera.

XX. Nam licet concedamus, imò doceam, solam fidem justificare: nulla tamen necessitas nos cogit, ut propterea statuamus, *fidem dispositivè, causaliter, antecedenter &c. justificare*, ut patet: cum justificare nobis dicatur fides, ut modus, ut medium & quodammodò instrumentum. Modus autem, medium, instrumentum nihil disponit, nihil producit; sed omne id causæ efficienti & finali est tribuendum; & potissimum hoc loco, ubi fides non habeat sese ut instrumentum Spiritus S. vel Christi, quemadmodum malleus instrumentum est fabri, per quem actus causæ principalis influat in objectum, & sic in ipsum effectum producendum: sed duntaxat sese habeat, tanquam conditio, ac ratio quædam, quam Spiritus S. requirit ad opus suum producendum; verbum magis propriè instrumenti, & quidem satis efficacis, rationem habet: quippè per quod Spiritus S. & fidem & justificationem ipsam in homine peccatore operatur: unde etiam illi efficacia singularis tribuitur: quod sit potentia DEI ad salutem: quod sit Spiritus & vita &c. quæ attributa nullibi fidei in Scripturis assignantur.

XXI. Quare etiam nequaquam perindè est, quando Jesuita negat: *solam fidem justificare*: & quando idem inficiatur: *solam fidem non dispositivè, non causaliter justificare*. Cum fides nihil disponere possit, etiam instrumentaliter: cum non possit propriè in justificatione agere: quippè pertinet ad hominem justificandum, vel qui jam actu justificatur, & merè se habet passivè, & sic omne, quod in homine & hominis est: At subjectum quidem propriè dicitur patiens, sed instrumentum passivum valdè impropriè: Cum instrumentum referendum sit ad causam efficientem, quæ in actione, non in passione est. Nihilominus, quia sua argumenta præcipuè dirigit contra



tra priorem propositionem (siquidem omnia concludunt sine modo; non solam fidem justificare) nostram sententiam refutare allaborat. Quomodo autem id præstet, restat indagandum.

XXII. Pergit ergò Becanus & §. 3. ita argumentatur: Nihil à Calvino debet affirmari, præsertim in re magni momenti, nisi habetur in Scripturis: at nusquam habetur in Scripturis, solam fidem justificare: E. non debet hoc affirmari à Calvino. Major propositio à Calvino & Calvinistis negari non potest, ut ostensum est in disputatione de autore peccati c. 1. §. 2. Minor probatur, quia nullus locus in scriptum ostendi potest, in quo sola fides dicatur (justificare) Hoc argumentum nec Calvinus nec ante illum Lutherus potuit solvere. Et quidem Lutherus, cum illam particulam (Sola) non posset uspiam in S. literis reperire, usus est autoritate, & audacter illam posuit in tertio cap. Rom. Et cum postea hac de re monitus esset, nihil aliud, quam hoc responsi dedit: Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas. Calvinus autem lib. 3. Inst. c. 11. §. 19. producit quedam loca ex D. Paulo, quibus asseritur, fidem justificare sine operibus. Unde confici vult, solam fidem justificare. Sed quam rectè videbimus paulò post in solutione objectionum.

XXIII. Sanè neque nos Lutherani negamus Majorem; sed omninò statuimus & contra ipsos Jesuitas & Papistas hactenus invictis argumentis obtinimus: quod omnes articuli fidei, & quicquid ad illos constituendos, fundamentaliter proponendos, confirmandos & explicandos pertinet, id unicè ex S. Scriptura petendum & desumendum esse. Ad probationem Minoris dicimus & quærimus, quid sibi velit his verbis, nullum locum in tota Scriptura S. ostendi posse, in quo dicatur S O L A: an intelligat illas quatuor literas cum suo sono; an verò sensum sive rem ipsam; an tandem utrumq;?

XXIV. Quod illæ quatuor literæ, vocem S O L A constituentes, non inveniuntur ita, ut in hac materia cum voce fidei jungantur in S. scriptura, facile largimur, & Lutherus dudum concessit: sed quæ est ratio consequentiæ: vox sive particula illa (Sola) non reperitur in Scripturis: E. neq; sensus in illis habetur? sanè nulla: imò adeò nulla, ut ipsam ipse Bellar-



min. neget l. 3. de just. c. 3. *Non potest, inquit, aliquid certum, esse certitudine fidei, nisi aut immediatè contineatur in verbo DEI, aut ex verbo Dei per evidentem consequentiam deducatur.* Quod igitur mediante evidenti consequentiâ ex scripturis deducitur, id in ea contineri ( licet  $\epsilon\lambda\epsilon\gamma\epsilon\varsigma$ , ita non legatur ) necesse est concedat Bellarminus: quare si probatum ac demonstratum fuerit, particulam hanc *sola fides*, in Scripturis contineri mediatè, atq; indè per bonam consequentiam deduci, facile quisque concedet sententiam hanc: *hominem solâ fide justificari, in Scripturis contineri.*

XXV. Forsan negat utrumq;  $\epsilon$  particulam *Solam*  $\epsilon$  *rem eâ* significatam: contineri in Scripturis? Verùm rem in ea contineri jam pridem ostendimus tam manifestè, ut, qui non videt, eundem negare oportet, uni sibi Solem plenò meridie n. lucere. Repetamus hoc unum, Gal. 2, 16. *Scientes non justificari hominem ex operibus Legis, sed per fidem:* hinc concludimus: *E. per solam fidem:* idq; rectè & evidenter secundum veritatem: nam ubi in aliqua propositione tantum duo proponuntur, & alterum ex illis negatum removetur, ibi alterum solùm affirmando asseritur: Quia ergo Paulus in hoc suo dicto de justificatione loquens, tantum duo, nempe opera & fidem proponit, & verò in justificatione removet opera, negando, quod justificent: E. retinet solam fidem affirmando, quod ea sola justificet.

XXVI. Quod de Luthero refert, ipsum argumentum jam refutatam solvere non potuisse, notoria calumnia est. Id sanè non semel, sed sæpius & quidem distinctis in locis refutavit. Sic idem de altero statuendum. Quomodo enim invenire non potuerit, quod nunquam quæsit? Sanè melius scivit quàm Pontificii, qui vix aspexerunt Biblia, particulam illam, in Scripturis non haberi: sensum autem non opus fuit quærere, cum is se in satis claris ac manifestis dictis per se obtulerit. Tertium impudens mendacium est, quò mentitur Lutherum interrogatum: *cur particulam solam dicto Paulino inseruerit, nihil aliud respondisse, quam hoc suum: sic volo, sic jubeo, sit pro promotione voluntas.* Sigillat Jesuita Lutheri nostri Epistolam de verificationi-



tionibus von Dolmetschen, quæ extat T. 5. Jen. Germ. mihi p. 140.  
& seqq. Quid autem ibi Lutherus? Tantumne illud: *sic volo, sic  
jubeo, &c.* urget? Mendacium est. Papistis, ait, qui suam versio-  
nem reprehendunt, & quid vertere sit, nesciunt, neq; discere cu-  
piunt, id respondendum esse: cæteros verò rationibus infor-  
mandos: quod etiam facit per totam primam partem illius E-  
pistolæ.

XXVII. Et primam sumit à rectè vertendi modo: quòd,  
ut is ubiq; teneatur, utriusq; linguæ idiotismi observandi, &  
acuratè tenendi sint, ne Germanicè loquentes, idiotismis Græ-  
cis vel Hebræis utamur, & sic Germanicas voces adhibentes,  
barbarè loquamur, & à nullo, etiam Germano, intelligamur:  
quod multis eruditissimis exemplis ac rationibus declarat ac  
probat: in specie autem in præsentidicto Rom. 3. demonstrat.  
S. Also hab ich. pag. 141. b. Also hab ich/ inquit, hie Rom.  
3. fast wol gewust/ daß im Lateinischen vnd Griechischen  
Texte daß Wort (Solum) nicht stehet/ vnd hetten mich  
solches die Papisten nicht dürfen lehren: War istis/ diese  
vier Buchstaben / S O L A, stehen nicht drinnen / welche  
Buchstaben die Eselsköpffe ansehen / wie die Ruhe ein  
new Thor: Sehen aber nicht / daß gleichwol die Mei-  
nung der Text in sich hat/ vnd wo mans wil klar vnd ge-  
waltig verdeutschen / so gehörets hinein: Denn ich habe  
Deutsch/ nicht Lateinisch noch Griechisch reden wollen/  
da ich Deutsch zu reden im Dolmetschen fürgenommen  
hatte: das ist aber die Art vnserer Deutschen Sprache/  
wann sich eine Rede begiebt von zweyen Dingen/der man  
eins bekennet/ vnd das ander verneinet / so braucht man  
das Wort Solum (allein) neben dem Wort (nicht oder  
kein): als wann man sagt/ der Bawr bringt allein Korn  
vnd kein Geldt: item; Ich habe warlich jese nicht Geldt/  
sondern allein Korn. Ich habe allein gessen vnd noch  
nicht getruncken/ etc. In diesen Reden allen / obs gleich  
die



die Lateinische vnd Griechische Sprache nicht thut / so  
thuts doch die Deutsche / vnd ist ihre Art / daß sie das Wort  
( alleine ) hinzu setzet / auff daß das Wort ( nicht oder kein )  
desto fölliger oder deutlicher sey etc.

XXVIII. Deinde post pauca addit alteram rationem:  
quæ desumitur à re ipsa pag. 143. b. Das sey vom dolmetschē  
vnd Art der Sprachen gesagt / Aber nu hab ich nicht al-  
lein der Sprachen Art vertrawet vnd gefolget / daß ich  
Rom. 3. Solum ( allein ) habe hinzugeset / sondern der  
Text vnd die Meinung S. Pauli fordern vnd erzwingens  
mit Gewalt : Denn er handelt ja daseibst das  
Hauptstück Christlicher Lehre / nemlich daß wir  
durch den Glauben an Christum / ohn alle Wercke  
des Gesetzes gerecht werden / vnd schneit alle Wer-  
cke so rein abe / daß er auch spricht / des Gesetzes  
( das doch Gottes Gesetz vnd Wort ist ) Werck  
nicht helffen zur Gerechtigkeit. Vnd setzet zum Ex-  
empel Abraham / daß derselbe sey so gar ohn Werck ge-  
recht worden / daß auch das höchste Werck / das dazumal  
new gebohren ward von Gott / für vnd vber allen andern  
Gesetzen vnd Wercken / nemlich die Beschneidung ihm  
nicht geholffen habe zur Gerechtigkeit / sondern sey ohn  
die Beschneidung vnd ohn alle Werck gerecht worden /  
durch den Glauben / wie er spricht / Cap. 4. Ist Abraham  
durch die Werck gerecht worden / so mag er sich rühmen /  
aber nicht für Gott. Wo man aber alle Werck so rein  
abschneidt / da muß ja die Meinung seyn / daß allein der  
Glaube gerecht mache : Vnd wer deutlich vnd dürre von  
folchem abschneiden der Werck reden wil / der muß sagen /  
allein der Glaube / vnd nicht die Werck machen vns ge-  
recht : Das zwingt die Sache selbst neben der Sprachen  
Art.



XXIX. Videatur ipse Lutherus, & satis erit manifestum, quàm crassè & sine pudore mentiatur Jesuita 1. Eò, quod dicit Lutherum suã tantùm usum autoritate, particulam (*Sola*) in tertio cap. Rom. audacter posuisse. 2. Et deinde alterò, ipsum monitum, nihil aliud, quàm hoc, responsi dedisse: *Sic volo, sic jubeo, &c.* Non possum non recordari illius Comici: *Qui semel verecundia fines transgressus est, illum oportet esse graviter impudentem.* Uti etiam hæc ipsa evincunt mendacissimum mendacium esse, quod sine fronte & conscientia audax ille calumniatur Cuisemius in Hyperast. pag. 196. scribit, *Lutherum de hoc crimine falsi in adulterando scripturam à suis collegis modeste reprehensum, non semel erubuisse, sed perfrieta fronte omnibus illudendo in hæc verba prorupisse: Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas.* Mendacium enim est *Lutherum in adulterando scripturam, crimen falsi commisisse.* Mendacium, hoc nomine Lutherum à Collegis suis reprehensum fuisse; mendacium Diabolicum est, *Lutherum non semel erubuisse; mendacium plusquam Diabolicum est, Lutherum perfrieta fronte omnibus illudendo in hæc verba prorupisse: Sic volo, sic jubeo &c.* Quis genus satis calumnias istas mendacissimas admirari potest? Videatur, inquam, ipsa Lutheri Epistola. Quomodo ad Locum Paulinum respondeat, videbimus infra sub loco.

XXX. Pergamus ad alterum argumentum. *Alterum argumentum* (inquit S. S.) *Scriptura non minus requirit actum timoris, spei, charitatis & pœnitentiæ ab eo, qui vult justificari, quam actum fidei; ergò sola fides, secundum scripturam, non sufficit ad justificationem.* Antecedens patet ex illo Ecclesiast. 1, 28. *Qui sperat in Domino, sanabitur.* Et 1. Job. 3, 14, *Qui non diligit, manet in morte.* Et Act. 2, 38. *Pœnitentiã agite, & baptizetur unusquisq; vestrum in remissionem peccatorum.* Et Act. 3, 19. *Pœnitimini & convertimini, ut deleantur peccata vestra.* Respondet Calvinus, se non negare, quin præter fidem requirantur actus aliarum virtutum; sed hoc negare, alios actus habere vim justificandi, sicut habet fides. Sic enim loquitur in antidoto Conc. Trident. sess. 6. ad Canonem 9. *Adde, quod hominem solã fide justificari cum dicimus, fidem non fingimus*

C

l. bari-





*charitate vacuam, sed ipsam solam justificationis causam esse intelligimus. Et ad Can. 11. Fides igitur sola est, quae justificat: fides tamen quae justificat, non est sola. Sed hoc Calvinii effugium nullum est. Nam Scriptura non minus aliarum virtutum actibus tribuit vim justificandi, & remittendi peccata, quam fidei. Eccles. 1, 27. Timor Domini expellit peccatum. Quid apertius? Si igitur timor habet vim expellendi peccata, non sola fides. Et Luc. 7, 47. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Hic quaero, quare Magdalena remissa sunt multa peccata? an quia multum credidit? non negaverim. Sed tamen Christus respondet: Quia multum dilexit. Vides igitur etiam dilectioni tribui, quod Calvinus soli fidei tribuendum contendit. Omitto alia testimonia, quae passim obvia sunt.*

**XXXI.** Primum argumentum Becani in forma resolutum est ejusmodi: Quod Scriptura requirit in eo, qui justificatur, id requirit ad ipsam justificationem, ut eam ingrediatur, efficiat & constituat: At praeter fidem plures sunt actus, quos Scriptura requirit in eo, qui justificatur, nempe actus timoris, spei, charitatis & poenitentiae. E. praeter fidem plures illos actus, utpote timoris, spei, charitatis ac poenitentiae, requirit Scriptura ad ipsam justificationem, ut eam ingrediantur, &c.

**XXXII.** Majoris connexio admodum infirma est: laborat enim fallacia à dicto secundum quid: nam non est necesse, ut ea, quae in aliquo requiruntur, statim tendant ad eundem finem, idemque operentur. Ut id planum est, & infinitis exemplis constat. Major ergo tantum particularis est, & quidem in forma prima: quare licet minor subsumatur, & conclusio annectatur pro Jesuita faciens: Scopae tamen dissolutae sunt, legitime ex praemissis nihil inferentes, quum majore particulari in prima figura existente, forma vitiosa sit, & nihil concludatur.

**XXXIII.** Deinde ad minorem: est in ea fallacia *αὐτοψολίας*: nam non eodem modo *fides* & deinde *actus timoris, spei, charitatis & poenitentiae*, se habent in eo, qui justificatur: Hi enim actus posteriores tantum supponuntur consequi fidem. Alias enim merito impugnarentur, Deoque placere non possent. Cum nemo placeret Deo sine fide *Hebr. 11*. Unde sic argumentamur: Quod



Quod rem constitutam sequitur, id illam ut causa ingredi nequit: At enumeratae virtutes justificationem peractam sequuntur: E. eam non ingrediuntur. Major est *αὐτόματος*. Minor jam probata est: Quia enim supponuntur consequi fidem salvificam, consequuntur utriq; justificationem. Ratio est: fides enim illa nihil est aliud, quam applicatio imputatione meriti Christi, quæ est ipsa justificatio: Hinc Augustinus nos docuit, bona opera consequi justificatum, non præcedere justificandum.

XXXIV. In specie illos actus, & quidem primum *timoris*, quod attinet, is sanè nullam in justificatione habet efficaciam vel operationem. Distinguitur ille in timorem servilem & filialem. Is est, quò Deus, tanquam iudex iratus, metuitur & reformidatur ob horrenda supplicia, quæ peccatores manent. Hic justificationem præcedere potest, imò sine justificatione est, quia sine fide est, & ad desperationem adigit: Ideoq; licet simpliciter malus non sit, cum suam habeat utilitatem, teste *Augustinò Psal. 129.* non tamen sine peccato est, cum sit sine fide: & quòd absq; fide est, peccatum sit *Rom. 14.* Quare hic timor nihil omninò pertinet ad justificationem. Hic, ingenuus sive filialis, licet sit in justificato, & sic bonus sit, peccatoq; oppositus, & Deo placens (est ejusmodi timor, qui Deum ita iudicem timet, ut tamen patrem per Christum conciliatum meminerit, nec ejus benignitate abutitur, sed majestate in officio continetur) tamen justificationem nequaquam ingreditur, vel eam constituit, vel salutem præparat. Quandoquidem eam præparatam & constitutam sequitur: quippè à qua procedit. Nemo enim certus esse de Deo, tanquam Patre, potest, nisi qui justificatus est, & sic Deo reconciliatus.

XXXV. Probatione ex *Ecclesi. 1, 28.* adducta nihil *Beccanus* efficit. Decipitur enim versione latinâ: in Græco, tanquam fonte, nihil quicquam de *timore* reperitur, sed de *iracundo* sermo est. Sic enim ibi legitur: *ὁ θυμώδης ἀνὴρ δικαιοσύνην*: Non poterit iracundus vir justificari. Ubi libenter concedimus, quòd malum opus, ut *iracundia & vindicta cupiditas*



*ait* possint impedire justificationem: non verò propterea est necessarium, ut statuamus, bonum aliquod opus, V. G. *timorem Domini*, illa posse inchoare vel perficere: ut etiam id locò allegatò non docetur.

XXXVI. Pro *spe* asserenda adducitur dictum Prov. 28, 25. *Qui sperat in Domino, servabitur.* R. Primum: vox *spei* in sacris est *equivoca*: vel enim suà significatione *quipollet fidei*, atque id cum primis in Psalmis: & dum *sperare* idem est, quod *firmâ fiduciâ in Deo recumbere*: vel *fidei constantiam* quasi opponitur: atque sic *sperare est, bona futura certò & patienter expectare*. Priori modò si accipiatur, concedimus, quod *spes* ingrediatur justificationem; sed nihil juvat adversarium: in posteriore verò potestate si acceptetur, negamus. Deinde *equivocatio* quoque est in voce *servari*: potest enim accipi de *conservatione ex periculis hujus ærumnosæ vitæ*, uti etiam de illa *spe* hoc dictum loqui videtur: & sic nihil ad justificationem attinet, concedentibus ipsis Pontificiis. Porro possunt verba illa *servare, liberare, salvare*, significare, & sic continere universum salutis cursum ad extremam, usque metam, quæ est in *fruitione gloriæ cælestis*. In cursu autem hoc primum gradum esse justificationem, tanquam à qua, quicquid est deinceps, dependeat, facile concedimus. Atque hoc modo non recusamus dicere: quicquid est in homine justificationis, esse præparationem ejus sanitatis, ejus liberationis, ejus salutis; non verò ipsius justificationis.

XXXVII. Pro *dilectione* allegat dictum 1. Joh. 3, 14. *Qui non diligit, manet in morte.* Sed nihil ad rem. Certum enim est, in quo homine nulla est dilectio, in illo quoque neq; fides, neque justificatio est: Non quod dilectio sit causa sive præparatio vel fidei, vel justificationis: Sed quod sit ejus necessarium consequens. Negatò autem necessariò consequente, negatur & ejus antecedens. Antecedere autem fidem dilectionem, probo: Nam quicumque habet Spiritum sanctum, is est justificatus: Quicumque diligit Deum, habet



habet Spiritum sanctum. E. quicumque diligit Deum est iustificatus. E. ut primum, iustificatio, pendet à Spiritu S. sic deinde dilectio Dei & proximi pendet à iustificatione. E. ut Spiritus S. est prior iustificatione: sic iustificatio est prior dilectione & tota sanctificatione.

XXXVIII. Pro *pœnitentia* allegat Becanus dicta *Actor. 2, 38. c. 3, 19.* Et illis nihil probat. Nam i. pœnitentiæ vox duobus modis sumitur i. pro contritione, ut fidei contradistincta est: & 2. pro contritione, ut fidei conjuncta est, & pœnitentiam salutarem constituit. Illò modò, sumpta in se continet 5. gradus. 1. Peccati recordationem, quæ fit in memoria sive reminiscencia. 2. Offensæ divinæ considerationem, quæ fit in mente. 3. peccatorum agnitorum detestationem, quæ fit in voluntate. 4. Vindictæ iudicii futuri timorem, quæ in corde. 5. Horrorem, dolorem & compunctionem, quæ est in conscientia, cauterio legis vulneratâ. Horum autem graduum nullus ad iustificationem pertinet, neq; eam ingreditur. Nam omnes à lege sunt: iustificatio tantum est ab Evangelio. Contritio illa est cordis vulneratio; iustificatio verò est illius vulneris infligendi sanatio.

XXXIX. Imò tantum abest, ut contritio hæc iustificationis pars sit, ut non pars sit boni propositi, sive ad illud constituendum ullò modò pertineat. Aliàs enim fuisset in contritione Judæ proditoris. Deinde contritio, ut diximus, excitat non per legem bonum propositum, sed per Evangelium. Spiritus S. enim, qui excitat in homine bonum propositum, non per legem, sed per Evangelium confertur, *Gal. 3. v. 2.* Et lex, teste Augustinò, *ubi non est Spiritus vivificans, hominem pravari- catorem magis efficit, quam boni operis studiosum.*

XL. Deinde, quando usurpatur tanquam pertinens ad pœnitentiam salutarem, tum interdum synecdochicè totam pœnitentiam, quæ constat contritione & fide: & interdum sine figura propriè partem ejus, pro qua aliquando & vox pœnitentiæ



tentia usurpatur: *contritio* itaque ut & *pœnitentia* pro parte accepta, neque sic ad justificationem pertinent. Falsa enim est sententia Pontificiorum, de qua *Bellarmin.* l. 2. de *pœn.* cap. 2. prop. 4. & c. 8. Item c. 12. ait, *Catholici communi consensu docent, contritionem causam esse remissionis peccatorum.* Quandoquidem ex lege, ex qua est contritio, non est remissio peccatorum, *Rom. 3, 21. & c. 4. v. 14. Gal. 2, 16. & c. 3, 11, 21.*

XL I. Contrà verò quando pœnitentia ut salutaris, h. e. tota & integra significatur, tum quidem S. Scriptura interdum ei tribuit, quod sit necessaria illis, qui remissionem peccatorum consequi volunt: id verò fit tantum respectu fidei, tanquam partis principalioris. Cum igitur hoc fiat in allegato dicto, responsio expedita est. Aliàs concedimus quoque ipsam contritionem esse necessariam tum ratione mandati divini, *Joc. 2. v. 13. Ezech. 20. v. 43.* tum ratione ordinis & consequentia; non verò ut causam justificationis.

XL II. Dictum *Ecc. 1. v. 27.* ineptissimè allegatur. Nam fidem justificare, quia expellit peccata, inauditum est in scriptura & Lutherana orthodoxa Ecclesia. Apprehendit potius remissionem peccatorum. Si autem ita sit loquendum; dicemus, fidem purgare vel expellere peccata præterita: timorem verò nempe ingenuum, futura: quatenus à malo proposito hominem justificatum avertit. Quare cum justificatio est remissio peccatorum præteritorum, *Rom. 3. v. 26.* non potest timor ille vel ad eam esse dispositio; vel in ea constituenda fidei causa socia.

XL III. Dicto quoque *Luc. 7. v. 47.* pueriliter ineptit Jesuita: *Mulieri multa esse peccata condonata, quia multum dilexit.* Certum est, id totidem verbis legi apud Lucam: sed quid hoc ad rem? Debet probare Becanus justificationem fieri per contritionem sive dilectionem; ut nos probamus, eam fieri per fidem. Concedimus quoque, & nobiscum Becanus, fidem esse causam remissionis peccatorum, & sic justificationis: verum non supponendo: eam designari à Christo, per id, quod dicat: *quia credidit multum:* (& qui supponeremus, cum Christus id



id non dicit?) sed demonstrando, id disertis verbis docere Salvatorem hoc ipsò locò vers. ult. *Fides tua te servat.* Contra non concedimus ita causam Justificationis esse dilectionem: Id vero nobis persuadere conatur Jesuita supponendo, Christum designare causam, eamq; formalem, per illa sua verba: *Quia dilexit multum.* Sed illud non supponi debebat, sed probari: quemadmodum à nobis de fide probatum est.

XLIV. Probari, inquam, debebat, cum neminem latere possit, particulam ὅτι non semper causalem esse, causam ipsius rei significantem: sed sæpius αἰτιολογητὴν seu ratiocinativam, rationem tantum & probationem ejus, quod dicitur, exponentem. Hinc apud Philosophum in posteriore analyt. Demonstratio, quæ est à posteriori, ac proinde non causam, sed tantum rationem rei, ab effectu desumptam, continet, demonstratio τῆς οὐσιᾶς appellatur. Sic usurpatur Matth. 4. *Abcede à me Satban; ὅτι quoniam non scis, quæ DEI sunt.* cap. II. *timebat eum, ὅτι, quoniam universa turba admirabatur super doctrina ejus.* Mille sunt hujusmodi.

XLV. Quod autem Christus hic non argumentetur à dilectione ad peccatorum remissionem, tanquam à causa ad effectum; sed potius ab effectu ad causam; id ad oculum patet ex parabola de duobus debitoribus, à Christo præmissa: quoniam ille, qui magis fuit obærat, dicitur magis etiam creditorem suum dilexisse, eo, quod ille plura debita ipsi condonasset; alter verò, cui minus debitorum erat donatum, minus etiam dilexisse, vers. 41. & seqq. Quæ parabola ab ipso Christo ad mulierem illam (cujus gratia etiam proposita erat) accommodatur vers. 47. *Remissa sunt ei peccata multa: quia dilexit multum: cui autem paululum remittitur, paululum diligit.* Quæ adeò clara ac perspicua sonant, ut explicatione non indigeant.

XLVI. Pergit Becanus §. 7. *Fortè occurret Calvinus, nec timorē nec charitatem, nec similes actus justificare, nisi in virtute fidei: ac proinde soli fidei totum esse ascribendum. Ego contra objicio, fidem potius in virtute charitatis justificare. Hoc apertè docet August. l. 15. De Trin. c. 18. cum ait: Ipsam fidem non facit utilem, nisi charitas; sine*



sine charitate quippè fides potest quidem esse, sed non prodesse. Et probat ex illo Apostoli Gal. 5. v. 6. In Christo Jesu, neque circumcisio aliquid valet, neque praputium, sed fides, qua per charitatem operatur. Quare Apostolus nominat fidem, qua per charitatem operatur? quia fides non est efficax ad justificandum sine charitate. Unde idem August. in Enchiridio cap. 8. Sine amore, inquit, fides nihil prodest. Hinc apparet calumnia Calvinii, qui in materia de justificatione ridet Catholicos, quod distinguant fidem informem, & formatam; cum ipse potius sit ridendus. Nam Catholici docent, fidem non justificare, nisi sit formata charitate: imò non esse efficacem, nisi quatenus per charitatem operatur. Calvinus verò, dum ait fidem justificare sine charitate, quamvis non sit sine charitate, videtur potius fidem informem agnoscere, & ei tribuere vim justificandi: Nam si sola justificat sine charitate; necesse est informem justificare; & si sola non existit, sed cum charitate; necesse est, formatam existere. Catholici contra docent cum Augustino, fidem posse informem existere, non tamen nisi formatam justificare.

XLVII. Primum Resp. Fortè Calvinus ita non occurreret. Quid? quod ejusmodi phantasma ipsi feбри correpto in somno inquieto ac turbulento occurrere non potuisset. Deinde non satis est, quod dicit Bezanus, fidem in virtute charitatis justificare: Hoc enim quod dicit, probat dum erat. Probat, sed ex Augustino. Prius ex Paulo vel alio aliquo Canonico & infallibili autore solidam probationem expectabamus. Scimus enim Augustinum in hoc articulo non semper accuratè loqui. Nihilominus loco allegatò, si antecedentia cum consequentibus rectè conferimus, videtur idem velle docere, quod Apost. Paulus Gal. 5. v. 6. qui fidem per charitatem describit, ut significet Pseudoapostolis, se non talem intelligere fidem, quæ stare possit cum peccandi studio, & separata sit à charitate DEI & proximi, sed quæ semper conjunctam habeat charitatem, non quidem ut partem justitiæ coram DEO valentis, vel ut causam sociam, sed tanquam notam infallibilem & consequens necessarium ac inseparabile. Id quod inde colligimus:  
1. quia



99 A 6900

ULB Halle 3  
002 622 092



SB

Repro

VD 77











SECUNDI  
Confessionem

TIO XIII.  
tinens  
ARTICULI IV.  
ÆSTIONE

ES SOLA  
FICAT,

posita  
cademiâ VVittebergenſi,  
SIDE

ARTINI, SS. Th.  
rimario, Facult. Theol.  
npli Arcis Præposito:

ONDENTE  
Großhain / Duderſtad.  
ditorio Collegii Veteris  
em 29. Novembr.

EBERGÆ,  
LOMONIS AVERBACH,  
M DC XXIX.